

176

358, 2



DIATRIBARUM  
DOMESTICARUM  
DECAS I.

QUAM

D. O. M. A.

PERMISSU ET CONSENSU

Amplissimi Jctorum Ordinis  
in Academia Salana,

PRÆSIDE

JOHANNES CHRÖTERO,  
OSTERBURGO-MARCHICO,

DEFENDERE CONABITUR

EMANUEL HEIGIUS,

Mülhusinus Tyrigeta.

XXVIII. SEPT.

JENÆ

TYPIS JOHANNIS WEIDNERI.

ANNO CHRISTI

1614.



*Viris Magnificis, Amplissimis, Consultissimis,  
& Prudentissimis,*

**Dominis Confuli-**


**bus, totiꝓue Ordini Senatorio**

**Liberæ ac Imperialis Urbis Mülhu-  
sinæ meritissimo,**

**Patribus Patriæ suæ, DD. Mecœ-  
natibus & Patronis colendissimis,**

Hasce studii sui juridici primitias in debitæ  
observantiæ gratæque mentis testimonium  
dicat & offert

*Emanuel Heigius Respondens.*



*Meo Convictori*

**DN. EMANUELI HEIGIO,**

Respondenti.

**HEIGI** *juridicum sic lustra jure triumphum.*

*Quid tandem fies? HEIGIVS alter eris.*


*Illud ERIS longum. Fias citò. Sæpè futuras*

*Preveniunt sortes ingenia egregias.*

J E N Æ F.

**M. Thomas Sagittarius,**

Professor Publicus.



**A** *Rma fugit, strepitumq; timet, crepitumq; veretur*

*Miles, in aprico qui nunquam viderit hostem:*

*Sic quicumque domi tenebroso absconditus antro*

*Delituit, sociosque diu vitavit honestos,*

*Nunquam latatus docto sermone, latebit,*

*Nec capiet, quoscunq; piger sibi Tantalus hortos*

*Somniat, Et cæno volvetur in agmine vulgi.*

**HEIGI,** *tu contra diæ delubra Themistos*

*Sedulus invisis, purgans rubigine mentem*

*Inscitiæ*



Inscitia, atque animum saturans indagine Veri:  
Nec Timonis amas latebras, quin pronus in auras  
Prodis, & gaudes sermones cadere doctos.  
Scilicet hic modus est, cumulos acquirere magnos  
Quo potes, atque Dices magnas corradere gazas.  
Hanc tere saepe viam, vestigia docta periti  
HEIG I subsequere, & sudando vince laborem:  
Sic ceu fors prima te nunc statione locavit,  
Primus eris, quondam quem cernat in ordine doctum  
Patria, quem primo cives dignentur honore.

Lubens meritoque scripsit

Johannes Schröterus.



# DIATRIBARUM

## DOMESTICARUM

DECAS PRIMA.

RESPONDENTE

EMANUELE HEIGIO,

Mülhusino Tyrigeta.

QUÆSTIO PRIMA.

An futurus Jctus in foro Christiano operam  
dare debeat Theologiæ?



*Uod de Scipione Africano refe-  
runt Historici, ipsum nihil auspiciatum fu-  
isse, nisi prius in sella J O V I S diutissime con-  
sedisset, quasi divinam mentem accepisset,  
Petzel. part. 2. mellef. hist. pag. 61. id vel no-  
bis in primis novum opus aggressuris obser-  
vandum fuerit, qui sacrarum literarum oraculis edocti sci-  
mus, OMNIA IN NOMINE DOMINI INCHOAN-  
DA, Colof. 3. vers. 17. difficile esse, ut bono peragantur exitu,  
quæ malo inchoata sunt principio, c. miramur, vers. principa-  
tus, dist. 61. ubi enim CHRISTUS non est fundamentum, ibi  
nullum boni operis est superedificium, c. cum Paulus 1. quest. 1.  
Rectè igitur facturi nobis videmur, si Imperatoris nostri mo-  
nitum, Nov. 6. pr. Nov. 119. pr. & exemplum secuti, Novell. 43.  
Nov. 85. Nov. 134. & 139. questionem propositam in honorem  
NOMINIS DIVINI paucis ventilaverimus, ejusq; affir-*

A

mativam



mativam contra gloss. propugnaverimus seqq. muniti telic.  
 I. Primum igitur assertionis nostrae fund. suppeditat nobis de-  
 finitio Jurispr. quod sit divinarum atq. humanarum rerum  
 notitia, & c. §. 1. l. de J. & J. l. 10. §. f. ff. eod. Quib. verbis sane id  
 ostenditur, bonum Jctum non tantum humanarum rerum  
 notitia instructum esse oportere, sed etiam earum cognitionem  
 habere, quae ad cultum divinum spectant, l. 1. §. 2. v. publicum,  
 d. t. Non solum n. civib. praecepta praescribuntur, quales sese in  
 commercijs exhibere debeant, sed & quo ritu possint Deum re-  
 ctè colere, Vac. à Vac. 1. decl. 30. n. 3. ut rectè dixerit A. Fab. lib.  
 1. J. P. t. 1. pr. 3. ill. 3. non posse fieri, ut quis perfectus Jctus dici  
 possit, nisi qui rerum omnium & divinarum & humanarum  
 cognitionem habeat. Hinc Lex dicitur rerum divin. & huma.  
 regina, l. 2. de LL. quae & divinas & humanas res benè disponit,  
 §. 1. de conc. ff. ejusq. interpretatio olim erat apud Coll. Pontific.  
 l. 2. §. 6. de O. J. Ritus a. Deo placentes ex solo sacrarum literarum  
 penu sunt depromendi, non ex jure, nisi paganismum, cuius ve-  
 stigia supersunt in l. 9. §. 2. de D. R. & l. 66. §. 1. de don. inter vir.  
 & ux. in usum revocare, atq. ita è Jctis & gnosis introducere  
 placuerit, contra quam Deo placet, Deut. 4. v. 2. Matth. 15. v. 9.  
 II. Quia Jctus non tantum de animarum salute debet esse  
 sollicitus, sed & hereticos à veris Christianis dignoscere, Nov.  
 115. c. 3. in f. ut sciat, an juris civ. habeant communionem, l. 3.  
 C. de Apostat. l. 4. §. 2. C. de Maniche. Quod sanè factum fuerit  
 difficilimum, nisi purioris doctrinae habuerit cognitionem: :  
 haec n. est, ex qua iudicium de hereticis fieri potest & debet,  
 Act. 17. v. 11. III. Nemo bonus inficias ibit, quemlibet Jctum  
 operam maximam navare oportere, ne quid suggerat, quod  
 pugnet è diametro cum verbo divino: ea enim quae Deum ad  
 iracundiam provocant, ne ad aures quidem hominum sunt

admit-



admittenda, l. 3. pr. C. de summ. Trinit. Opus igitur est, ut in numero habeat, quid cum norma divina congruat, & quid ab eadem recedat. Sunt enim multa in jure nostro, quae pro subjecta materia harmonicè consentiunt. Sic totus ferè Decalogus, (duo posteriora praecepta excipias, quibus pravi affectus cohercentur, Phil. Mel. in loc. comm. c. de 9. & 10. prae. & ibid. Mart. Chemnit. par. 2. de quibus Leges non sunt sollicitae, leg. 18. de pœn. l. 1. §. 1. de furt.) ex eo demonstrari potest, quod brevitatis ergò omittimus. Non solùm etiam integra scriptura dicta in eodem recitantur, ut ex c. 3 Gal v. p. in Nov. 5. c. 2. ex Ezech. 18. v. 23. & c. 33. v. 11. in Nov. 77. pr. sed etiam exempla citantur, ut Gen. 19. v. 23. in d. Nov. 77. c. 1. Neq; verò pauca in eo reperiuntur, quae si ad amussim Theologicam expendere, impia videbuntur. Concubinatus non tantùm de jure ff. licitus, l. 1. pr. & l. 3. §. 1. de concubin. sed & in Codice relictus, l. un. C. d. t. & in Nov. approbatus est, Novel. 18. c. 5. ibi, castè viventibus, Gædd. ad l. 144. n. 9. de V. S. Förster. disp. 3. th. 10. licet postea per Novell. 91. Imperat. Leonis sublatus fuerit. At quis non videt, eum in sacris esse prohibitum, 1. Corinth. 5. & 7. Divortij causas jus sacrum non agnoscit, nisi duas, adulterium nimirum, Matth. 19. vers. 9. c. non satis, vers. rem non novam 34. q. 1. c. significasti, extra de divort. c. dixit 32. qua. 1. c. Apostolus, c. fieri potest 32. quaest. 7. & malignam desertionem, 1. Corinth. 7. vers. 15. Phil. in tractat. de conjug. & Beza de repud. Wesenbec. in Paratit. ff. de rit. nupt. in f. quibus addit jus civile furorem supervenientem, l. 22. §. 7. sol. matrimon. Nil dicam de ἀνοχη, quam non tantùm Jurisconsulti quidam, Hortens. ad §. juris praecepta, Instit. de J. & J. & alij, sed & Theologi in jure civili licere ajunt, per l. 9. §. 7. de pecul. vid.

*Pet. Martyr. in loc. com. cap. 9. de homicid. qu. an quis sibi noc. poss. Ex quibus veritatem nostri quesiti liquidò constare putamus. Add. Jacob. Ompbal. lib. 2. de usurp. leg. c. 2. Isaac. Casaub. in tr. de libert. Eccles. quos allegat Conrad. Rittersbu. in synops. prim. part. Pand. c. 1.*

### QUÆSTIO SECUNDA.

An Justinianus rectè dicatur *γυναικὸς ἐπιβουλή*,  
quod uxorem in consilium adhibuerit?

**Q**ui in delitijs habent Justinianum Magnum, Imperatorè de civili & literaria Rep. optimè meritum laceffere, inter alios, quos ipsi impingunt navos, & huc collocare solent, quod nimium fuerit uxorius, dum Dorotheam conjugem non tantum in consilium adhibuit, Nov. 8. c. 1. sed etià in ipsius gratiam multas leges pro muliebri sexu tulit: quo referunt l. 20. C. de don. ante nupt. l. 23. C. de nupt. l. 29. & l. 30. C. de jure dot. l. un. C. de rei ux. act. l. 26. C. de don. inter vir. & ux. l. 4. C. de lib. præter, & l. 12. C. qui pot. in pign. vide Giph. in vita Justin. pag. 6. Pet. Greg. lib. 47. c. 11. n. 2. A. Fab. 8. conj. c. 11. Sed rationes hæc contra Imperatorem magnum nimis exigue. I. Quamquam enim negari non potest, Dorotheam à Justiniano affectione verè conjugali fuisse adamatam, arg. Nov. 74. c. 4. tamen minimè putandum est, quod eam consilij sui participem fieri voluerit ob amorem nimium; sed propter singularem prudentiam, quæ in hac foemina, teste Procop. lib. 1. de bell. Persic. inventa est. Neque verò hoc mirum, cum non rarò inveniuntur foeminae, quas morum honestas mentisq; solertia commendat. l. 2. §. 1. C. de his, qui ven. etat. ut viros etiam docere queant, & demonstrare, quæ ad utilitatè publicam pertinent, l. ult. de L. Jul. de annon. Hinc Augustum etiam non puduit audire Liviam, quem propterea nemo uxorium putavit, vide

Lips.

Lips. in not. ad libr. 2. pol. c. 17. Pet. Greg. 7. de rep. c. 11. n. 29. & seqq. II. Sic privilegia, quæ foeminis concessit, ea vel ob sexus imbecillitatem, l. 4. C. de sponsal. l. 2. §. 2. ad SC. Vell. vel ob magna pericula & incommoda, quæ sustinent in parturiendo, pariendo & nutriendo, l. 13. §. 1. de ad. ed. Nov. 162. c. 3. inf. vel propter beneficium, quo afficiunt remp. l. 1. sol. matr. l. 64. inf. de condit. & demon. indulgit: ita tamen, ut in multis adhuc hodie deterior sit earum conditio, quàm masculorum, l. 9. de statu hom. dignitas minor, l. 1. de senat. l. ult. de fid. instrum. & potestas inferior, l. 4. de cur. fur. l. 13. de suis & leg. Hinc à munerib. publicis arcentur, l. 2. de R. J. l. 1. §. 5. de post. suos heredes non habent, l. 14. de suis & leg. pupillariter substituere nequeunt, l. 33. de V. & P. S. III. Accedit deniq., quod & alij legumlatores Justiniano priores foeminis in aliquibus fauerint, ut in Juris ignorantia, l. 9. de jur. & fact. ign. SC. Maced. t. t. eod. caus. dot. l. 2. de jure dot. l. 1. sol. matr. Hinc Imp. Constant. foemine in omnibus negotijs tale jus concedit, quale & mares habent, d. l. 2. C. de his, qui ven. atat. & Principes eadem privilegia sibi competentia Augusta communicant, l. 31. de LL. l. 6. §. 1. de jure fisci. Sed de his satis.

### QUÆSTIO III.

An Leges Codicis derogent Pandectis  
& Institutionibus?

Quoties fribusculum oritur inter Leges Codicis & Pandectarum vel Institutionum Paragraphos, varij conciliationum modi adhiberi solent, de quibus habemus conciliatorem Mercery, & tr. Marci Mantue, Bonaviti Patavini, inter quos à quibusdam quasi sacra anchora & extremum refugium constituitur & hic, ut dicant, Codicem uti tempore posteriore, ita auctoritate reliquis libris priorem & potiore esse,

illisq; derogare, qua de re est ap. A. Gent. 1. lect. v. c. 13. Sed mino  
 commodè. I. Quia Justin. operam adhibuit maximam, ut leges  
 nobis exhiberet compendiosas, librosq; succinctos, ut vilissima  
 pecunia comparari possent, etiam à tenuioribus, l. 2. §. 13. in f.  
 C. de vet. jur. enucl. §. 13. de confir. ff. Verisimile ergò nò fit,  
 quod LL. abrogatas voluerit corpori historiae gratia inseri, quã  
 novo juri non necessariam ipse pronunciat, l. un. §. 9. in f. C. de  
 cad. toll. quemadmodum nec in ff. nulla fit mentio SC. Pegasi-  
 ni, actionis rei uxoriae, L. Fusia Can. §. c. II. Hæc opinio è dia-  
 metro pugnat cum proposito Imp. qui in hoc totus fuit, ut jus  
 in unam consonantiam redigeret, & omne contrarium tolle-  
 ret, l. 1. §. 7. & seq. l. 2. pr. §. 1. & 16. C. de V. J. E. cujus rei gratia  
 etiam Codex secundò fuit editus, §. 1. & 3. C. de emend. Codic.  
 Just. III. Nec caret hæc opinio insigni absurditate: Sequere-  
 tur enim hac ratione, quod lex prior derogaret posteriori, cõ-  
 tra l. ult. de cõst. Pr. Leges n. Codicis omnes latæ sunt ante edi-  
 tionem ff. & Institut. in quibus allegantur, exceptis quatuor  
 decisionibus, l. ult. C. de testam. l. ul. C. de jurejur. propter cal.  
 l. ult. C. de leg. her. in qua fit mentio Institution. & l. un. C. de  
 cad. toll. quæ Justin. IV. Cons. sunt editæ, atq; ita post Pand. & I.  
 vid. Giph. præst. explic. proæ. l. IV. Deniq; hæc opinio arguit Imp.  
 inconstantia, quasi à se ipso dissentiret in uno & eodem opere,  
 imò in una & eadem lege: totum n. corpus unius est Justin.  
 & pro una lege habetur. Compilatores in simulat negligentia,  
 ut qui iussum Justin. non satis diligenter observaverint. Jus  
 ipsum verò incertitudinis nota afficit, quod tamen certum  
 esse oportet, l. 2. de jur. & fact. ignor. Vide Giph. in Prolegom.  
 ad Cod. Alber. Gentil. libr. 1. lect. & ep. cap. 13. Waltber. 2. mi-  
 sceu. c. 17. Fr. Grat. de Gartzat. lib. 1. & 2. de conc. leg. Cod. & ff.

## QUÆSTIO IV.

An sit boni Jurisconfulti sententiam semel  
probatam retractare?

**C**um in jure nostro non mere sint demonstrationes, sed  
quàm plurima probabilia, l. 2. §. 18. C. de vet. jur. enuclea.  
§. responsa, ibi, sententia & opiniones, Inst. de J. N. G. & C. etiã  
contrarationem disputandi recepta, l. Si, ad L. Aqu. ita ut non  
rarò etiã prudentissimos fallant, l. 2. de jur. & fact. ig. & erra-  
re faciant, l. 91. §. 3. de V. O. Non abs re queritur: An igitur  
bono Jcto conveniat, ut à sententia semel recepta recedat?  
Id quod affirmabimus. I. Quia errare humanum est, l. 2. §. 14.  
C. de vet. jur. enucl. nec omnia uno momento addisci possunt,  
l. 20. de fideicom. lib. sed unumquodque artificium incremen-  
tum recipit, l. 65. §. 3. de leg. 3. Hinc Julianus in d. l. 91. §. 3. de  
V. O. non erubuit sententiam Celsi Jurdenis calculo suo appro-  
bare. II. Non igitur pudeat nos errorem corrigere, si tanquam  
homines excessimus, c. qualiter, extra de accus. magna enim  
sapientia est revocare hominem, quod malè locutus est, cap.  
magna 22. q. 4. III. Quia Petrus cessit Paulo veritatem præ-  
dicanti, c. qui contempta 6. dist. 8. IV. Nec desunt magni no-  
minis Jcti, tam veteres, quàm recentiores, qui Euripidis il-  
lud: αἰδῶ τε γὰρ Περικλῆδες σοφώτεροι: perpendentes, calculum  
reducerunt. Salvius Julianus summe auctoritatis homo, l.  
10. C. de condiēt. indeb. idemq̄, summus Author Juris scientie  
l. 15. C. de usufru. sententiam mutasse dicitur in l. 19. §. final. ad  
Sc. Vell. Papinianus vir excelsi ingenij l. 6. §. 1. C. de inst. & sub.  
prudentissimus, l. 12. C. de leg. & acutissimus, l. 30. C. de fideic.  
non erubuit priorem sent. repudiare, quod non tantū Justin.

in l. ult.

in l. ul. §. 3. C. de furt. sed ipsius etiā Papiniani testimonio patet, l. 6. §. f. de serv. export. Scævola etiam referente Ulpiano idem fecit, l. 23. §. f. de A. R. Dom. quem nec ipse Ulpianus imitari sibi de decori duxit, ut commemorat Imp. in §. 3. constit. de emendat. Cod. Just. Et quod magis est, ipsi etiam Imperator. sententia minus fundata nunciū remiserunt, l. 17. de ju. patr. quibus addi potest factum Justiniani in Nov. 22 pr. § N. 127. pr. § passim. Ex recentiorib. paucos attulisse sufficiat, Fran. Hott. à sententia lib. 6. obs. 5. recepta, recedit, lib. 9. c. 10. Fr. Duarē. in l. 29. de leg. 1. ferè in s. opinionem, quam in juventute exosculatus erat, repudiat, Cl. D. Arum. Ex. 6. th. 14. in addit. idē facit, Förster. libr. 2. dispu. 13. th. 30. rejicit quod statuerat disputat. 4. th. 2. rat. 2. Hoc loco non possum, quin Cujacij illud lib. 2. obs. c. 37. in s. ingeminem: Utinam qui hoc tempore jus interpretantur, Papinianū (dico ego § reliquos) imitati, quæ vel falsò vel ineptè aliquando § senserint, § scripserint, ingenuè retractent, nec in eis contra quam postea resciverint, tam obstinato tamq̃, obfirmato animo, ut ifaciunt, perseverēt! contra quorum pertinaciam vide quod eleganter scripsit Ludov. Viv. lib. 1. de caus. corrupt. art. pag. 16. Adde Mar. Uran. ad c. quanto, ext. de jurejur. n. 41. § seqq. Gothof. ad l. 75. de R. J. Coras. in tr. de comm. opin. lib. 1. t. 6. Ant. Fab. lib. 1. J. P. t. 1. pr. 2. ill. 7. Joh. Gerbard. dec. 4. pol. q. 6.

## QUÆSTIO V.

Utrūm Jurisconsulti sint præferendi Medicis?

Via virtutis ardua, l. ult. C. ad L. Jul. repet. l. 14. C. de remil. quā qui sectantur, suo merito præmia nanciscuntur digna, l. ul. C. de stat. § imag. Quia verò inter artifices sæpè magna differentia est, l. 31. de solut. nō incommodè quaritur, qui quibus sint præferendi? Et quod propositū ζητημα attinet

nos

nos hac vice, salvo Medicorum honore, à partibus J Ctorum, stabimus subsequenter nixi rationibus. I. Qui majori pollet auctoritate, ceteris sunt preferendi, c. Isidorus, distin. 16. Id quod de J Ctis probare non erit difficile. Sunt enim & vocantur Amici, l. 4. C. de contr. stipul. l. 17. de jure patr. Parentes, l. 4. C. locat. & Pars corporis Principis, l. 5. pr. C. ad L. Jul. Maj. Viri celsiores, l. 2. C. de adv. divers. jud. Honorati, l. 3. eod. Nobiles, l. 7. C. de postul. Nobilissimi, l. 3. in f. de excus. tut. Illustres, l. 3. C. ad L. Jul. Maj. Magnifici, §. 3. & 4. proem. I. Medici contra potuerunt esse servi, l. 41. §. 6. de fideicom. lib. l. 16. §. 1. de alim. leg. l. 10. §. 1. de an. leg. quod ex Sueton. in Tib. & in Neron. ut & ex Sen. lib. 3. de benef. probat Coras. ad l. 2. §. 13. de O. J. n. 6. vilissimi igitur homines, l. 17. pr. de noxal. act. Quæ ratio tamen hodie parum roboris habet. II. Ex objecto judicatur de præstantia artificis, l. 1. de extraord. cognit. Objectum autem J Cti est homo interior, l. 1. §. 1. de J. & J. Nov. 8. ca. 8. Medici verò exterior, d. l. 1. de extraord. cognit. tantò igitur præstantiores J Cti Medicis, quantò animus corpore melior, Nov. 115. c. 3. circa fin. III. Neque hoc negare quisquam audebit, finem J Ctis longè meliorem quàm Medicis esse propositum: Illi enim in vita civili justiam custodiunt, hi sanitatem hominis, Nov. 111. pr. Wes. in Parat. ff. de just. & jur. n. 2. Est a. justitia virtus perfectissima, Nov. 61. pr. & præstantissimum omnium bonorum, Novell. 163. princip. Arist. 5. Ethic. quæ sese in totam Remp. diffundit; Sanitas unicum tantum hominem concernit. IV. Medicina numeratur inter eas artes, quæ precio æstimari possunt, d. l. 1. §. 1. de extraord. cog. Juris prudentia a. æstimari nequit, & res est sanctiss. d. l. 1. §. 1. unde J Cti dicuntur Justiciae Sacerdotes, l. 1. §. 1. de J. & Jur. qui in sanctissimo ejus

templo, l. 1. §. 5. Cod. de V. J. E. sacratissimis, l. 9. c. de LL. adorandis, l. 2. §. 19. Co. d. t. de V. J. E. & à Deo profectis legibus, l. 2. de LL. ipsi sacra faciunt, l. 32. §. 4. de recept. arbitr. V. Ita colligimus: Ex cuius artis privatione majus metuendum est periculum, ea prastantior sit oportet illa, cuius defectus non ita magnum secum trahit damnum. Atqui Jurisprudentia & J. Ctorum penuria majus importat periculum, quam Medicorum, siquidem ibi periclitatur tota Respublica, hic verò unus tantum homo. Hinc Plin. lib. 29. nat. hist. c. 1. scribit: Populum Rom. plus sexcentis annis sine Medicis vixisse, quod sanè sine prudentibus fieri non potuisset, presertim in tanta hominum copia, ubi propter naturalem ad dissentiendum facilitatem, l. 17. §. 6. de recept. arb. creberrimæ metuendæ sunt seditioes, l. 77. §. 20. de leg. 2. quibus Resp. valde leditur, l. 21. §. 1. de cap. & postl. reperf. Quæ ut sedentur, plus prodest unicum consiliū maturū, quam centum de Rhabarbaro purgationes, ut ait A. de Guev. lib. 1. horol. Princ. c. 43. pag. 190. Vide M. Uran. ad c. sit. per eo 2. ext. de testib. n. 14. Bod. 3. de Rep. c. 8. pag. 573. Nevizã. lib. 5. sylv. nup. n. 75. Matthæ. lib. 1. de via jur. 10. n. 3. Coras. ad l. 2. §. 13. de O. J. Heig. part. 2. quæ. 26. n. 7. Job. Gerhard. decad. 9. Pol. q. 6. Dissentit Scaliger lib. 3. Poët. c. 16. pag. 256.

## QUÆSTIO VI.

An usuræ pugnent cum jure naturali & divino?

**T**ertullianus, referente Frid. Balduin. in proleg. de jure civili ad I. fatetur: Leges Romanas ad innocentiam pergere, & de divina lege, ut antiquiore, ferè mutuatas, licet ad veram illam innocentiam, quam à Deo sumus edocti, nullo modo accedat. v. A. Gët. lib. 1. c. 6. de N. Hoc encomiū, qui J. C. invidet, magnam eorum aciem instruunt, quæ aliquid iniquitatis vel etiam impietatis alere videntur. Horum classi nonnulli ad-

scribunt



scribunt usuras, à jure civili non tantum contra jus natura, sed etiam contra ipsam sacram scripturam concessas. Sed qua fronte, videbimus. Usuras non pugnare cū jure naturali, rationibus subsequenter planum evadet. I. Jus natura suadet, ut quisq; suam conditionem potius meliorem reddat, quam alterius, cum ordinaria charitas incipiat à seipso, l. 1. §. 4. §. 12. de aq. plu. arc. imò durum & crudelitati proximum sit, alteri magis, quam sibi consulere, l. 6. C. de servit. §. aq. Quidni igitur concedat lucellum id, quod ex pecunia mutuò data capitur, & quidem ab eo, qui eadem suum quoque commodum augere studet? II. Mutuum dare est perdere. l. 3. §. 2. v. si filius. de Sc. Maced. potuisset enim sibi quisq; sua pecunia prodesse, prædia vel alias res necessarias comparando, l. 7. §. 3. de admin. tut. Nemo autem etiam ex jure natura præsumitur jactare suum, l. 25. pr. de probat. ita ut officium ipsi sit damnosum, quod iniquum foret, l. 7. testa. quemad. aper. Ideo q; eos, qui omnibus propemodum indigentibus opem ferre parati sunt, per hujusmodi minutias injuriam perpeti justum non fuerit, Nov. 136. c. 4. in f. III. Quin potius contra naturam esset, si usura non concederentur: fieret enim, ut mutuarius locupletaretur cum alterius incommodo, quod natura non patitur, l. 1. 4. de condict. indeb. l. 6. in f. de jur. dot. l. 12. §. 1. de distr. pign. Hinc Cic. 3. off. Neq; verò hoc natura tantū, ait, sed & legibus populorum constitutum est, ut non liceret sui comodi causa nocere alteri. IV. Atq; ne aequitas nat. ledere-tur, Imperatores Christiani certis cancellis incluserunt usuras, l. 26. C. de usun. quos qui excedunt fama naufragiū faciunt, l. 20. C. ex quib. caus. inf. licet interdum ratione loci, l. 3. de eo, quod cert. loc. & personarum varient, d. l. 26. Hinc Bald. in c. 1. n. 4. ext. de jurejur. & in l. cunctos n. 3. C. de summ. Trinit.

dicit, usuras non tantum jure gentium & naturali permitti, sed & optandum esse, multos extare fœneratores vel creditores sub usuris, puta moderatis sine quorum officio aliàs multi fame perirent. Atq; hæc de usuris compensatorijs intellecta volumus. V. Sic usura punitoria nihil in se habent, quod sit contra æquitatem naturalem: non enim infliguntur propter lucrum petentium, sed propter moram solventium, l. 17. §. 3. de usur. Sed potius VI. cum ea optimè consentiunt: Quid enim natura tam conveniens, quàm ut delictum puniatur? l. 20. pr. de interrog. l. 51. ad L. Aq. l. 18. §. 1. de jud. Mora a. est delictum, l. 44. mand. juncta l. 3. §. f. de act. empt. meritò igitur à debitore usura petuntur, l. 173. §. f. de R. J. l. 5. de reb. cred. l. 32. de V. O. ne hac impunitate ad majora delicta invitetur, l. 1. §. 4. de carbo. ed. l. 14. C. de pœn. Wes. in Par. ff. de usur. n. 6. & seqq. Treut. vol. 2. disp. 3. th. 1. lit. B. Diss. Gail. 2. obs. 5. Arist. 1. Pol. 6. Cic. 2. offc. inf. Covarr. 3. var. resol. 1. n. 5. Chemnit. part. 2. loc. com. de paupert. c. 6. pag. 430.

Nunc de altero problematis mēbro videbimus, & quidem usuras minimè sacris oraculis contrariari ita ostendimus. I. Quicquid sub certo respectu personarum & finis in sacris literis prohibetur, id non simpliciter sed secundum quid cum illis pugnat. Usura autem uatè u prohibentur, nimirū respectu pauperis fratris & immodici lucri, quod mordet, rodit, vel planè opprimit, Exod. 22. vers. 25. Levitic. 25. vers. 35. & seq. Deut. 23. vers. 20. Proverb. 28. vers. 8. Si igitur à ditioribus & modicè exiguntur, admisse sunt. II. Paulus 2. ad Cor. 8. vers. 13. ita nos alijs benefacere jubet, ne nobis sit tribulatio, illis verò remissio, quo cū planè coincidit, quod ex l. 6. C. de servit. & aq. l. 7. test. quemadm. ap. adduximus: quin imò qui suis non prospicit, fidē abnegasse dicitur,

1. Tim. 5. v. 8. id quod de eo, qui diviti pecunias suas gratuito in proprium incommodum concedit, merito dicendum foret. III. Si jus divinum approbat Politia, & vult ut Resp. conservetur, utiq; approbat & media, sine quibus subsistere non potest, arg. l. 2. de jurisd. At sine exercitio usurarum, Resp. conservari difficulter potest: hoc enim prohibito mercimonia intereunt, quibus vita humana carere nequit, l. 1. de contr. empt. Quam ob causam etiam Deus videtur concessisse usuras Populo Israelitico, Deut. 23. vers. 20. IV. Sic videmus nec domus, nec Musæi, nec agrorum usum gratuito cuiquam concedi, quod & ipsi Theologi approbant: Quæ ergo est causa, quod solius pecunie usus gratuito concedi debeat, cum utrobq; eadem sit ratio. Videatur Luth. tom. 7. Jen. Germ. pag. 405. D. Hunnius in 2. Ep. ad Corint. 8. pag. 244. & in concionibus catecheticis p. 99. cujus distinctione sequimur. Adde Treutl. vol. 2. disp. 3. th. 1. lit. c. Molin. pr. de usur. Gotthofr. ad l. 29. de usur. lit. x. Coler. part. 1. de process. execut. c. 10. Diss. Gail. 2. obs. 5. Hier. Schurff. cent. 2. conf. 3. n. 2. Siehard. ad rub. C. de usur. Alciat. in l. 121. de V. S. n. 9. Hottom. illustr. quest. 40. Martin. Chemnit. part. 2. locor. commun. in loc. de paup. capit. 6.

QUÆSTIO VII.

An sit duplex jus gentium?

**I**n signem esse distinctionum usum in qualibet disciplina, nemo est qui ignoret: in primis autem Jurisprudentia Romanæ earum beneficio à multis contradictionum tricis & obscuritatum nebulis vindicatur, si nimirum subtiliter adhibeantur, leg. 2. §. 16. de V. J. E. ut non minus hîc, quàm alibi, verum sit tritum illud: Qui benè distinguit, benè docet, l. 1.



pr. de dol. mal. & met. except. §. sed non usq<sup>3</sup>, v. sed ne in primis, I. de legat. Quia in re tamen illud vel maxime cavendum, ne eas arripiamus, quae nec verbis, nec menti legis sunt conformes, arg. l. 9. §. 1. quod met. caus. l. 8. de publ. in rem act. aut contra formam semel constitutam, novas introducamus, l. 24. in f. ad municip. quae nullibi sunt relata, & nusquam recepta, l. 1. in f. de Senat. Videndum igitur, an vulgaris illa, qua jus gentium primævum & secundarium dispescitur, subsistat? Negantibus subscribimus. I. Quodcunque neg<sup>3</sup>, verbis neg<sup>3</sup>, sententiae legum cōvenit, illud ipsum sine rubore admitti nequit, Novel. 18. c. 5. pr. & LL. suprā alleg. Divisio a. haec est talis. E. Non convenit VERBIS, quia Ulp. in l. 1. §. f. Gajus in l. 9. in f. de Justit. & Jur. Imperator in §. 1. I. de J. Nat. G. & Civ. unius tantum juris gentium mentionem faciunt, ejus scilicet, quod à ratione naturali est introductum, & ab omnibus gentibus peraequè custoditum. Neg<sup>3</sup>, MENTI est consentanea: Quia quemadmodum juris gentium causam unicam constituunt rationem naturalem, non distinguentes inter rationem nudam & ratiocinantem: ita etiam unicum denotare voluerunt jus gentium. II. Sic infero: Unus & idem effectus non potest aequaliter tribui diversis causis, quarum una sit tempore prior altera. At qui unus & idem effectus aequaliter tribuitur utrique juris gentium: Nam distinctio dominiorum tribuitur juris gentium secundario, in l. 5. de J. & J. quam tamen Imp. in §. singulorum Inst. de R. D. adscribit juris gentium, quod naturale vocatur, & statim cum genere humano ortum est, quod est jus gentium primævum, §. 1. v. quod verò, Inst. de jure Nat. G. & C. Ex quo sequitur, quod non sint diverse causae speciei distinctae. III. Si distinctio illa ex tempore priori & posteriori desumpta admitteretur, consequens esset, quod obedientia

erga

erga patriam falso adscriberetur iuramentum primo, cum patria non fuerit statim cum genere humano constituta, sed demum congregatis hominibus & conventiculis institutis coeperit. IV. Eadem absurditate bella iuramentum secundo tribuerentur in d. l. 5. cum defensio sui sit juris naturalis seu iuramentum primo, l. 3. de J. & J. l. 4. ad L. Aquil. V. Quemadmodum non recte infero: Quaecumque ante jus civile non sunt inventa, ea sunt juris civilis, (sunt enim quaedam etiam post jus civile introducta, & tamen iuramentum dicuntur, ut acceptilatio, l. 8. in f. de acceptil. Emptio & venditio, quae non erat tempore Troj. belli, l. 1. de contr. stip. est tamen iuramentum, d. l. 1. in f. l. 7. pr. & §. 1. de pact. l. 5. de J. & J. l. 1. locat. cum non dependeat ab antiquitate temporis, sed à ratione & usu.) Sic vitiose colligo: Bella non fuerunt statim ab initio. E. non sunt ejus iuramentum, cuius est religio erga Deum, & c. & per consequens duplex erit iuramentum. Adde Coras. 6. miscell. c. ult. Connan. 1. com. c. 5. A. Fab. lib. 1. I. P. tit. 2. pr. 3. confut. 1. Bronch. cent. 1. affe. 3. Tilem. p. 1. disp. 1. tb. 13. Dn. Ungep. disp. vernal. 2. tb. 7. lit. a. Dissentiunt Don. 1. comm. 7. Duar. ad tit. de J. & J. c. 5. & ibid. Wes. in Parat. n. 15. Revard. 1. var. 1. in f. Först. Jun. disp. 1. tb. 33. Henon. disp. 1. tb. 10. Wöllner. ill. quest. disp. 1. tb. 9.

### QUESTIO VIII.

An servi favorabiliter considerentur in jure civili?

**V**eritate nihil preciosius, inquit Scalig. lib. 2. de caus. latin. ling. c. 63. quae cum non ex multitudine authorum, l. 1. §. 6. C. de V. I. E. sed rationibus aut legibus ex medietate juris depromptis demonstranda sit, Nov. 18. c. 5. videndum est, non quid, sed quibus fundamentis dicatur. Quod dum facimus,

ij s sanè

ipsi sanè ad stipulari non possumus, qui tradunt servorum in  
 jure civili non aliam esse considerationem, quam Macedonis  
 in SC. Maced. l. 1. eod. aut Carfanix in l. 1. §. 5. de postul.  
 I. Cujuscumq; vita, innocentia, castitas, dignitas & praestantia  
 in jure asseritur & defenditur, eum utiq; in eod. favorabiliter  
 considerari oportet. At qui servorū vita, & c. consideratur. E.  
 Minorem probamus. VITA defenditur in l. 1. §. 2. ad L.  
 Cornel. de Sicar. ubi puniri dicitur is, qui hominem occidit,  
 non habita differentia, cujus conditionis hominem intereme-  
 rit. Quod si in favorem domini fieri dixeris, repono hoc,  
 quod tuum daretur actio ex L. Aquil. non autem ex L. Corn.  
 l. 23. §. 9. ad L. Aquil. Sic in l. 11. §. f. d. t. ad L. Corn.  
 de Sicar. per l. Petroniam, dominis ablata est potestas, servos  
 suo arbitrio ad bestias depugnandas tradere, non sanè in fa-  
 vorem dominorum, sed ipsorum servorum, quorum vitam, ut  
 ait A. Fab. in rat. ad l. 12. de jurisd. leges curae habent, non  
 tantum quod sint homines jure naturali, sed etiam civili ra-  
 tione, quod per eos possit locupletari Respublica, & aliquando  
 queant in cives evadere, quorum adjectione imperium plus  
 adjuvatur, quam pecuniarū copia, l. 7. §. 3. de bon. dam. l.  
 2. in f. Cod. de indict. vid. toll. Sic partus liberae mulieris,  
 qui in utero est, licet nondum sit homo, l. 1. in f. ad L. Falc.  
 nedum civis, vide Vac. à Vac. lib. 1. decl. 18. nu. 3. tamen  
 propter spem nascendi & jus civitatis assequendi curatur à  
 legibus, l. 7. l. 26. de statu hom. l. 3. pr. si pars her. l. 231.  
 de V. S. INNOCENTIA servorum non minus defenditur,  
 quam vita, l. 1. §. f. & l. 2. C. de his, qui sunt sui, §. 2. I. eod.  
 Nec est, quod excipiat illud, non tam in gratiā servorū, quā  
 utilitatem dominorum constitutum esse: Considerandū enim  
 hic est, non quid per consequentiam, sed quid per se & princi-

paliter

paliter D. Pium adegerit ad constitutionem illam promulgandam? Certè non utilitas dominorum, (quam eam d. regis attendi non negamus) qua potius versabatur in libertate rebus suis utendi, l. 21. C. mandat. l. 2. si à par. quis man. easq. retinendi, l. 9. rerum amot. l. 22. §. 2. de noxal. act. l. 11. C. de contr. empt. sed sola innocentia servorum & eorum querela, ibi: cognosce de querelis. Idq. satis luculenter evincit exemplum Umbricia propter atrocitatem in ancillas innocentes commissam, à D. Adriano punite, d. l. 2. in f. de his, qui sunt sui. Neque jus civile adeò omnem humanitatem erga servos exuit, ut seviti- am immanium barbarorum approbet, l. unic. C. de emend. serv. CASTITAS servorum porro defenditur in l. unic. pr. & §. 1. C. de rapt. virg. l. 6. C. de spectacul. & scen. lib. 11. in tantum, ut hoc officium Praefecto Urbi à D. Severo datum sit, ut mancipia tueatur, ne prostituantur, l. 1. §. 8. in f. de off. praef. urb. Eadem ratione licet servi respectivè sint vilissimi homines, l. 17. de noxal. act. homines tamen sunt, l. 4. de J. & J. quare & eorum DIGNITAS, l. 15. §. 2. de usufruct. & PRÆSTANTIA à jure civili facta, recta custoditur, l. 44. pr. de edil. ed. l. 28. in f. de usur. §. in pecudum, v. partus, I. de R. D. l. 17. C. de poen. II. Habent etiam interdum communionem juris civilis, ita ut ex certis causis dominum possint accusare, l. 53. de jud. l. 1. de L. Jul. de ann. l. 20. C. de his, qui accus. non poss. ut & Praetorij, l. 5. de minor. aditus enim liber ipsis ad Praetorem conceditur, l. 22. §. 1. & l. 52. §. 1. ad SC. Treb. III. Sic premio libertatis donantur à l. 3. §. 15. de SC. Silan. si quid præstiterint, quod in commune utile est: ita ut etiam contra ultimam domini voluntatem, (cujus tamen magnus favor

*l. 50. inf. de hered. pet. l. 1. C. de SS. Eccl.) ad libertatem à Pratore perducì possint, l. 12. d. t. C. de SC. Sil. IV. Hinc denique sunt tituli & leges, quæ non tantum in genere, sed & in specie de servis tractant, t. t. de his, qui sunt sui, t. de pecul. t. de statulib. l. 5. de stat. hō. Ex quib. luce meridiana clarius apparet, servos non tantum quoad pœnas, sed & quoad præmia & favorem in jure civili considerari: Ad contraria quid responderi possit in ipso consuetu videbimus.*

## QUÆSTIO IX.

An detur tertium genus hominum inter liberos & servos?

**I**Ta statuit Connan. 2. com. 10. n. 5. & medium genus inter liberos & servos facit adscriptitios, malè. I. Per l. 3. de stat. hom. ubi expressè dicit Gajus: Omnes homines aut liberi sunt, aut servi. Atqui adscriptitij sunt homines. Ergo oportet ut sint vel liberi vel servi. Ubi ergo medium? II. Notum est, quod, quicumque sub potestate dominica positus est, servus sit, l. 4. §. 1. d. t. Adscriptitios autem in potestate domini esse, clarus est textus in l. 21. C. de agric. & cens. ubi & hoc additur, quod nulla quoad statum sit differentia inter servos & adscriptitios: unde etiam semper opponuntur liberis, l. 22. C. d. t. Nov. 162. c. 2. eorum conditio dicitur maculata, l. ult. C. d. t. III. Quia expressè etiam vocantur servi, in l. 7. C. eod. Don. 2. com. c. 9. inf. D. Arum. exercit. 1. th. 25. Förster. disp. 2. th. 3. Diss. Gædd. in tr. de contr. stip. c. 7. concl. 6. n. 75. Hænon. disp. 1. th. 20. Item de statu liberis affirmamus, per l. 9. de statu lib. l. 25. & l. 29. eod. l. 12. inf. fam. hercisc. Robert. 1. animad. 6. Revard. 2. var. 11. Duaren. ad titul. ff. si ex noxal. caus. Dissentit Cujac. 1. observation. 37. & ad rubric. C de agr. & cens.

QUÆ-



## QUÆSTIO X.

An libertus propter ingratitude[m] in servitute[m] revocari possit?

**M**agnum omninò est beneficium, quod servi à dominis, dū manumittuntur, consequuntur, l. 3. de obseq. par. Et pat. Libertas enim inestimabilis l. 106. de R. J. omni precio, l. 9. §. 2. in f. de stat. lib. Et vitæ anteponenda est, l. ult. C. de pat. potest. ut rectè dictum sit, hac ipsa nihil gratius servis prestari posse. l. 39. de fideic. lib. Meritò igitur liberti patronis ad gratitudinem sunt obstricti, l. 25. §. 11. de pet. her. illisq[ue] operas, l. 26. §. 12. de condict. indeb. Et reverentiam naturaliter debent, l. 9. de obseq. par. l. 4. §. 1. junctà l. 13. de injus voc. Quamquam autem libertas semel data non facilè est revocanda, l. 9. in fin. de mun. tamen ob causam ingratitude[m] libertum in servitute[m] reduci posse statuimus. I. Per expressos textus l. 6. §. 1. de agnosc. Et al. lib. l. 21. pr. quod met. caus. l. 16. de in integr. restitut. l. 5. pr. de jur. patron. l. 30. §. penul. qui Et à quib. man. l. 3. l. ult. C. de libert. Et eorum lib. l. 7. de SC. Silan. l. 52. de bon. lib. l. 12. C. de oper. lib. §. 1. Inst. de cap. dim. Nov. 78. c. 2. II. Quia aliàs etiam donationes, quæ temerè revocari non possunt, propter ingratitude[m] vitium annihilantur, §. alie, v. sciendum, Inst. de donat. ubi elegans additur ratio, l. ul. C. de revoc. don. Sic hereditas liberis naturaliter debita, l. 7. pr. de bon. da. propter hanc ipsam turpitudinem illis auferri potest, Nov. 115. c. 3. alimenta rectè denegantur, l. 5. §. 11. de agn. Et al. lib. atque in potestatem patriam reducuntur, l. unic. C. de ingrat. liber. Vide Coras. part. 2. de art. jur. cap. 7. III. Quia potest etiam ob ingratitude[m] in exilium temporale vel in metallū condemnari, l. 1. de jure patr. Qui enim tam impiè se erga patronum gessit, ut nec metu servitutis, nec amore libertatis



*in officio retineri potuerit, dignus visus est, qui durio-  
quam hominis liberi poenam experiretur, A. Fab. lib. 3. I. P. t.  
5. pr. 2. illat. 10. Donel. 2. commentation. 24. Förster. disputat.  
2. thes. 6. Mercer. 1. opin. 9. Dissentit Cujac. 10. observat. 23. &  
21. observat. 6. Connan. 1. commentat. 7. numer. 4. Nos  
hic subsistimus.*



## PARADOXA.

I.

*Pugnat interdum cum Justitia sine: Suum  
cuique tribuere.*

II.

*Obligatio est persona.*

III.

*Sublatis omnibus partibus manet totum.*

IV.

*Certum esse, & ambiguum esse non pugnant.*



00 A 6440


ULB Halle 3  
002 937 344



VD17

Reho ✓







Inches  
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

BARUM  
ICARUM  
AS I.  
M. A.  
CONSENSU  
torum Ordiniâ Salanâ,  
CHRÖTERO,  
MARCHICO,  
CONABITUR  
HEIGIUS,  
Tyrigeta.  
SEPT.  
NIS WEIDNERI.  
CHRISTI  
4.